

occisum esse a servis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus est tortore? quid quaeris? occideritne? occidit. Jure, an injuria? nihil ad tortorem. Facti enim in eculeo quaestio est, juris in iudicio.

XXII. Quod igitur in causa quaerendum est, id agamus hic: quod tormentis invenire vis, id fatemur. Manu vero cur miserit, si id potius quaeris, quam cur parum amplis afferit praemiis; nescis inimici factum reprehendere. Dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter et fortiter, M. Cato, dixitque in turbulenta concione, quæ tamen hujus auctoritate placata est, non libertate solum, sed etiam omnibus praemiis dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent. Quod enim praemium satis magnum est tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus servis, propter quos vivit? etsi id quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine et vulneribus suis, crudelissimi inimici mentem oculosque satiavit: quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuissent conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. Hic vero nihil habet in his malis, quod minus moleste ferat, quam etiamsi quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum praemium persolutum. Sed quaestiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ nunc in atrio Libertatis. Quibusnam de servis? rogas? de P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio. Dii boni! quid potest agi severius? De servis nulla lege quaestio est in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime deos accessit Clodius, propius quam tum, cum ad ipsos penetrarat: cujus de morte, tanquam de caeremoniis violatis, quaeritur. Sed tamen majores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum esse, et domini morte ipsa tristius. In reum de servis accusatoris cum quaeritur, verum inveniri potest? Age vero, quæ erat, aut qualis quaestio? Heus ubi Ruscio (verbi causa) Clodius insidias fecit Miloni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata